Programm

des mit einem

Gymnasium

verbundenen

Königlichen

Realgymnasiums

zu

Leer

für das Schuljahr von Ostern 1883 bis Ostern 1884.

Inhalt:

1. Eine philologische Abhandlung des wissenschaftlichen Hülfslehrers Chr. Gerdes.
2. Schulnachrichten vom Direktor.

1884. Progr. Nr. 301.

Leer,
gedruckt bei D. H. Zopfs & Sohn.

Gerdes

De translationibus quae dicuntur terentianis.

Quam disputandi materiam nobis proposuimus, priusquam ad ipsam accedamus et translationes terentianas investigemus, verbo breviterque, translatio qua sit natura tangendum videtur quamque vim complectatur.

In omni omnium hominum et doctorum et indoctorum sermone vocabula inesse nemo est qui ignoret, quae a proprio loco in alium translata sunt. Ipsi liberi indoctissimique homines iis mutationibus utuntur, ubi similium significatione cui rei nomen iis deest, eam naturali quadam facultate exprimere adducuntur. Itaque *necessitate rustici gemmam in vitibus et sitire segetes et fructus laborare.* (Quintil. Inst. orator. VIII. 6. 6.) Eadem autem necessitate qua non sentientes iis mutationibus utuntur, docte loquentibus tales nascuntur. Cum enim permultis rebus, adfectibus actionibusque propria nomina desint, *necessitate nos durum hominem aut asperum. Non enim proprium erat quod daremus his adfectibus nomen.* Vide Quintil. eod. loco. Quae naturalis transferendi facultas, cum ars dicendi excoleretur, loquentibus non sufficiebat. Igitur certis quibusdam formulis legibusque dictis aliae mutationes quaerebantur, quas decoris causa adsumebant scriptores, cum illae gratia significationis adhiberentur.

Inter has sermonis exornationes ab graecis grammaticis metaphora relata est, ab latinis translatio eiusque naturam Quintilianus, Aristotelem secutus, hunc in modum describit: *Transfertur nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est* (Inst. Orator. VIII. 6. 5) et alio loco: *Metaphora brevior est similitudo, qua haec pro ipsa re, quam volumus exprimere, dicitur* (VIII. 6. 8). Ea cum aliis generi troporum forma subiecta est, nam *tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* (VIII. 6. 1.) Quarum cum nonnullae ad translationis rationem usumque proxime accedant, paucis quid inter has et illam intercedat, liceat exquiramus. Sed haec modo adnotasse contenti erimus ex eorum numero nonnullos tropos quod et ad naturam et ad vim attinet, metaphoris simillimos esse ita, ut veteres grammatici nimia paene subtili definitione inter translationem discrimen et alios tropos composuerint. Neque mirum, cum tantum absit, ut omnia eorum praecepta inter se consentiant ut ipse Quintilianus ubi de tropis uberius disseruit, secum pugnaverit. Dico tropi formam, quam Graeci catachresem, Latini abusionem appellaverunt. Eam grammaticus his verbis definit: *abusio est quae non habentibus nomen suum accommodat,* (VIII. 6. 34.) quamquam idem de translationis vi dicit: *Copiam sermonis auget permutando aut mutuando quae non habet; quodque difficillimum est, praestat ne ulli rei nomen deesse videatur.* (Sequuntur verba

quae supra laudavimus. Vide VIII. 6. 5.) Et alio loco: *Discernendum est hoc totum* (abusionis) *a translatione genus, quia abusio est, ubi nomen defuit, translatio, ubi aliud fuit.*

Adferamus hoc loco liceat Muetzelli, viri doctissimi, de hac re sententiam, qui postquam in commentatione *de translationum quae dicuntur, apud Curtium usu (Berolini 1842)* veterum scriptorum de translationis vi et natura sententias contulit, ad eum de abusione disputationis exitum pervenit ut haec dicat: *Per catachresem ponitur vocabulum, quod ex eo loco in quo proprium est, in proximum quendam et vicinum non sine quadam licentia transfertur.* Igitur etsi neque metaphoram catachresi subiectam esse tamquam formam generi, is recte disputavit neque catachresem metaphorae, inter ambas exornationes diffluens, ut ita dicam, discrimen interesse constat. Sed redeamus unde devertimus.

Plus intercedit inter metaphoram et qui sequuntur, inter tropos eikona sive similitudinem, synekdochen sive intellectionem, metonymiam sive denominationem. Quos si quis accuratius investigare volet, quomodo veteres grammatici eos descripserint et definierint, in commentatione Muetzelli quam supra laudavimus, reperiet. Nobis sufficiet summam eius disputationis, omissa abusionis definitione, adferre: *Metaphorae proprium est, ut propter similitudinem transferantur vocabula ex loco proprio in alium quendam, qui quasi quadam imagine eius rei, unde sumpta translatio est, exornetur et inlustretur. Per similitudinem vocabulum non in alterius cuiusdam stationem quasi succedit, sed inlustrandi causa adicitur ante posito. Per synekdochen quae ponuntur vocabula, nequaquam suam notionem amittunt, sed ad eam adsumunt alteram quandam, quae cum illa coniunctissima sit necesse est. Per metonymiam denique quae usurpantur vocabula, non eo consilio ponuntur, ut eam quae iis subiecta proprie est, adferant notionem, sed ut animum per quandam necessitudinis rationem ad rem cognatam deducant, quam solam oratio desiderat.*

Abusionis et naturam et vim non multum ab ea metaphorae abhorrere intelleximus, igitur has formas in commentatione nostra non disiungemus et si qua abusionis exempla in comoediis terentianis exstant, inter metaphoras enumeremus liceat. Similitudinum deinde etsi quantum inter eas et translationes intercedat, commemoravimus, numerus apud Terentium tam parvus reperitur, ut etiam eae hunc locum obtineant. Quod denique ad synekdochen attinet sive intellectionem, quae ex nonnullorum testimoniis veterum a metonymia disparanda omnino non est, necessarias maxime atque a Terentio in usum receptas exsequemur, quamquam prae ceteris translationes Terentii quae dicuntur, spectabimus.

Earum vis omnis a Quintiliano miro cum consensu omnium fere grammaticorum antiquorum quadruplex describitur, cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, deinde inanima pro aliis generis eiusdem sumuntur, tertium cum pro rebus animalibus inanima, denique animalia pro rebus sensu carentibus ponuntur. Quae quadripartita distributio quamquam per tot saecula ab doctissimis tot viris usurpata est et licet quotquot accidere intellegique possunt metaphorae, ad illas partes commode eas referri verum sit, nobis in commentatione non placet, cum nostra maxime ex quibus vitae rationibus aut partibus rerum naturae poeta metaphoras sumpserit, intersit exquirere. Nam ubi et quoad poetae animus cogitationesque versatae sint, ex imaginibus apparere, ab eo petitis, verissime Pierson affert, cum in initio commentationis de Persii metaphoris (Rh. Mus. n. f. XII. pg. 88. sqq.) haec adnotat: Der geistige Zustand (eines Dichters) wird weniger bezeichnet durch das, wovon er redet, als durch die Art wie er redet. Man muß auf die Einkleidung und die Einschiebsel der Gedanken merken, will man eine rechte Anschauung von den Kreisen gewinnen, in denen der Geist des Sprechers sich zu

bewegen pflegt. — Demnach gehen wir sicher, wenn wir zur Abgrenzung seines geistigen Horizonts und zur Charakteristik derjenigen Gebiete, in denen er zu Hause ist, auf seine Metaphern hinweisen.

Igitur aliam age sequamur partitionem, qua veterum de partibus lege non prorsus omissa Terentii metaphoras in eum ordinem investigemus, ut primum de eo genere translationum disseratur, quod est cum vocabula, quae propria sunt in hominum corpore eorumque condicionibus, transferuntur, alterum genus sit, ubi vocabula bestiarum propria mutando assumuntur, tertium, quo inanima transferuntur et quae insunt in rerum natura et quae cogitatione tantum humana comprehendimus. Sed cum harum pagellarum certus constitutusque sit numerus, fieri non potest, ut quibuscunque translationibus poeta usus est, breviter hae ferme tangantur; igitur quae metaphorae in communem usum abierunt adeo, quibus omnes ut propriis usi sint, praetermittamus licebit eas.

Atque ut iam intellegamus quibus Terentius metaphoris usus sit, initium capiamus ab vocabulorum translationibus, quae propria sunt in corpore humano eiusque partibus. Atque quoniam earum duplicem esse naturam laudavimus et aut nomen transferri potest aut verbum, eam generis partem bipartito disseramus et his metaphoris disiungendis iis quae fiant in vocabulis corporis humani propriis, et iis quae ad eius actiones aut adfectus attineant, grammatici anonymi sequemur praecepta, quem Walzius primus edidit. Apud eum hac de re leguntur latine translata haec: *metaphorarum aliae ab actione transferuntur in actionem, ab animis aut inanimis aliae in inanima aut anima; huius exempli gratia Aiax, primus Telamonius, Achaeorum sepes* (vide Il. VI. 5.) *illius causa cum pro suadendo sumitur verbum texendi.* (Rhet. gr. T. VIII pg. 780, 24.) Quem locum Muetzellius in commentatione quam saepe laudavimus, nobiscum communicavit.

Itaque primo loco dicendum erit de translationibus, quae fiunt in vocabulis corporis humani. Ex quo genere sunt: *caput.* Andr. 458: *illic est huic rei caput.* Ad. 568: *huic rei caput.* — Aliter res se habet in metaphoris quae sequuntur, ubi *caput* pro ipsa *vivendi* significatione adhibetur. Andr. 677: *capitis periclum adire.* Hec. 333, 4: *Aliquid tulisse comminiscentur mali capiti illorum.* Quae vocabuli vis in consuetudinem communem prorsus abiit. Proxime accedit Ad. 723: *flagitia capitalia.* Semel et metonymice quidem reperimus *cerebrum.* Ad. 571: *diminuetur tibi cerebrum.* — *Lacrimula* a suo loco translata est Eun. 67: *haec verba illa una me hercle falsa lacrimula.* — Hoc agmen cogat *pes* Ad. 227: *nusquam pedem.* Perpauca exempla huius usus apud Terentium exstant, cum in aliis, quae eo numero referri possunt, aut metonymiae vis insit aut coniunctio ut ita dicam, nominis cum verbo ita, ut aptius alio loco ea disseramus. — Quod ad nomina adiectiva attinet, quae propria in corpore humano et aut actionem aut adfectum significantia translata reperimus, eorum numerus tantus tamque varius est ut ordinem secuti in litteras digestum ea enumeremus liceat, post nonnulla exempla adferamus significationis causa.

absurdus, aegrotus, callidus, clemens, compos, dexter, difficilis, ebrius, facilis, gravis, impurus, integer, lassus, lautus, levis, liquidus, mutus, obnixus, omissus, plenus, praeceps, proclivis, prolixus, purus, quietus, sanus, satur, sobrius, stabilis, stolidus, stupidus, surdus, sublatus, tenax, tenuis tranquillus, tristis.

Andr. 857: *tristis severitas.* — Andr. 193: *animum aegrotum.* Ad. 764: *laute munus administrasti tuum.* Quae exempla sufficient ad usum inlustrandum qui notissimus est neque obscurus.

Multo uberior altera huius formae pars est, qua quae propria sunt corporis actionum vocabula, ea transferri diximus. Quorum cum numerus summus sit et ratio non eadem,

bipartito hanc partem investigemus oportet. Nam alia, propria in certa corporis actione aut adfectu certo, transferuntur in aliam aut corporis aut animi actionem sive adfectum alium — metaphora in ipso verbo continetur; — vis est aliorum ut inanima, cum res ex universa natura, tum maxime ex natura humana, quae sub sensus non cadunt, fingantur agentia. Igitur illa eo grammaticorum genere referenda sunt, quod est, cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, haec huic, in quo pro rebus animalibus inanima sumuntur. Vide veterum quae saepius laudavimus, praecepta. — Metaphora inest in nomine.

Atque primum illas investigemus. Sat multae metaphorae ex verbis *edendi*, *bibendi*, *consumendi* sumptae sunt, exempli gratia Eun. 235: *hominem, patria qui abligurrierat bona.* Confer nostrum: „verpraſſen." — Phorm. 318: *Tute hoc intristi, tibi omnest exedendum, adcingere,* quae translatio frequentissima proverbii loco celebrata est. — Pauperrimus homo hunc in modum describitur Eun. 939: *Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent.* — Audaciores videntur Haut 462: *Quid te futurum censes, quem adsidue exedent?* — Ad. 220: *inescare nescis homines*, quamquam ea alio quoque loco enumerari potest. — Audacissima quam legimus Eun. 1087: *Hunc comedendum et ebibendum vobis propino.* Eam duram, i. e. a longinqua similitudine dictam existimamus esse (vd. Quintil. Inst. Orator. VIII. 6, 17), nam hominem comedere et ebibere, quamvis audax sit, ferri potest, at hominem tamquam poculum propinare, ea modum videtur egressa esse translatio. Fortasse ei metaphorae a Muetzellio abusionis nomen datur, certe hanc non sine quadam licentia dictam esse apertum est. — *Consumere.* Andr. 160: *si quid consili habet, ut consumat nunc.* — Haut. 73: *Quod operae consumis tuae.* Simili sensu *absumere.* Phor. 340: *ille et cura et sumptu absumitur.* — Percommode deinde sat multae metaphorae ducuntur a sententia *satietatis* velut Haut. 869: *istius obsaturabere.* — Hec. 594: *satietas iam tenet studiorum istorum.* — Phor. 834: *quo pacto satietatem amoris ait se velle absumere?* — Ad. 765: *omnium rerum satur.* — Eodem sensu *lassus* Hec. 238: *lassam oppido.* — Item in homines translatum est vocabulum Eun. 403: *eum satietas hominum ceperat.* — Simili modo *abundare* Phor. 163: *amore abundas.* — Eun. 972: *neque agri neque urbis odium me unquam percipit.* — Contrarium autem Ad. 442: *illius modi civium penuriast.* — *Sapiendi* verbi significatio item mutata fit metaphora Eun. 791: *quantist sapere.* — Haut. 323: *haud stulte sapis.* — Haut. 923: *foris sapere*, aliaque. Ad quas proxime accedit *subolere* Haut. 899: *ut ne subolat esse amicam hanc Cliniae.* Idem Phor. 474: *Numquid subolet patri?* Huius verbi sententia congruit cum nostro „riechen" in „Demagogenriecherei." — Uno loco reperimus eodem sensu *olfacere* Ad. 396, 7: *Aut non sex totis mensibus prius olfecissem, quam ille quicquam coeperet?* — Permultae aliae corporis actiones metaphorice adhibentur velut *evomere* Hec. 515: *in eam hoc omne evomat;* Ad. 312: *ut iram hanc in eos evomam omnem.* Ad. 510: *ut in eum haec evomam.* — Similiter *expuere* Eun. 406: *quasi ubi illam expueret miseriam ex animo.* Deinde *lavare*, *expurgare* Phor. 973: *venias-lautum peccatum tuom?* — Andr. 900: *sine me expurgem.* — Tum *emungere* Phor. 682: *emunxi argento senes* quae translatio sordida hoc loco optime in servum cadit. — *Sudare* Phor. 628: *heia sudabis satis;* metaphora est usitatissima neque non Ad. 533: *sensum pulchre calleo.* — Adiectivum ab hoc verbo sumptum saepe reperitur apud Terentium velut Andr. 198: *quam sis callidus.* — *Effutire* i. e. ore effundere Phor. 745, 6: *Ne vos forte foris effutiretis.* — Homo humilis atque male moratus significatur Eun. 1079: *stertit noctes et dies.* — *Stomachari* i. e. moleste ferre, Eun. 323: *id mecum stomachabar modo.* — Idem significatur raro verbo *ringi* Phor. 341: *Ringitur*, i. e. succenset. Propria significatio est: *dentes ostentare* irae causa.

Sequuntur verba *tangendi*, *feriendi*, *tegendi*, *devinciendi*, quae cum mutatione aut in aliam corporis actionem aliumve adfectum transferuntur aut animi. Phor. 690: *hoc ulcus tangere* i. e. nostrum: in der Rede einen faulen Punkt berühren. — Aliter Eun. 420: *Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio?* — Eodem referendum est verbum *commitigari*, quod translatum uno loco reperitur cum propria significatione carnis reddendae mollis. Eun. 1028: *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.* Audacior Phor. 47: *ferietur alio munere*, in qua ironiae inest vis, cum *munus* dictum sit pro *damno*. — Praeterea fortasse eodem numero habendum est Eun. 417: *ingularas hominem?* quo verbo plus facto dicitur, ut hyperbolae similis fiat translatio. — Eodem fere sensu Ad. 182: *usque ad necem operiere loris.* — Idem significandi causa uno loco legimus *scapulas perdidi* Phor. 76. i. e. tergum. — *Diverberare* Phor. 327: *Quot me censes homines iam diverberasse usque ad necem?* qua cum metaphora optime convenit, cum nos dicimus: „jemanden prellen." — *Devincire* Andr. 561: *coniugio liberali devinctum*, multaque alia huius verbi exempla Haut. 208, 394, Hec. 167, 8. *Tegere* Hec. 165, 6: *iniurias viri omnes ferre et tegere contumelias.* — *Onerare* Andr. 827: *onerare iniuriis.* — *Trahere* Andr. 260: *animum divorse trahunt.* — *Intendere* Eun. 312: *nervos intendas tuos.* Multo aliter res se habet Phor. 325 et 696, ubi in *nervum ire* sive *erumpere* ponitur pro in *carcerem ire*. — *Dare* Andr. 297: *hanc mi in manum dat*, quod metonymice interpretantur: „Sie legt unsere Hände in einander." Facilior fit translatio intellectu, cum conicimus: hanc *manibus meis committit.* — Saepe reperimus verba *excruciandi*, *macerandi*, *enicandi* translata omniaque hyperboles vi induta velut Andr. 685: *noli te macerare.* — Andr. 886: *quor me excrucio*, *quor me macero?* — Eun. 187: *me macerabo.* — Eun. 554: *qui me rogitando enicet.* — Ad. 369: *disrumpor.* — Eun. 432: *risu omnes emoriri.* — Neque ab hoc loco absonum proverbium, quod legitur Phor. 1015: *Verba fiunt mortuo* i. e. frustra. Idem alia significatione Hec. 852: *ab orco mortuom me reducem in lucem feceris.* Hic hoc vocabulo homo infelicissimus intellegitur sine ulla spe eventus, quam sententim alio loco *sepultus* vocabulo poeta expressit Phor. 943: *sepultus sum.* — Denique audacissima huius generis metaphora Phor. 1026: *Exequias Chremetis si quibus est commodum ire, en tempus est.*

Insuper paucis quibusdam exemplis praeclara eminet translatio verborum, quae cum corporis actionem significant, simul animi eam adnotant ita, ut illa assumptivum huius sit signum. Huius usus haec exstant exempla Haut. 762: *non possum pati quin caput tibi demulceam* et Eun. 482: *Neque cicatrices suas ostentat.* Hoc de modesto et liberali iuvene dictum, illud caritatis causa. — Ad. 839: *exporge frontem*, quod item notissimum. Huc referendum videtur, quamquam res est paulo alia Eun. 401: *rex te ergo in oculis gestare?* Notissima translatione hoc dicitur pro *aliquem carissimum habere.* Confer. Ad. 903: *te amat plus quam hosce oculos* et Ad. 701: *magis te quam oculos ego amo meos.* — Idem significatur Ad. 709: *gestandus in sinust.* Deinde Andr. 328: *nuptiae sunt tibi cordi.* — De loquaci homine dicitur Haut. 330: *orando surdas iam auris reddideras mihi.* Vide Haut. 222. — Denique Ad. 864: *nulli laedere os.* — Ad. 269: *in os te laudare.* — Hec. 765: *me reprimam.* — Ad. 623: *reprendi me.* — Ad. 794: *ad te redi.* — Andr. 632: *Tum coacti necessario se aperiunt.* Pulcherrima praeterea translatio legitur Haut. 673: *Crucior bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus.* In quibus nemo erit qui haereat.

Ut nomina adiectiva *aegrotus*, *sanus*, *insanus*, ita verbum *valere* in animum transfertur Andr. 309: *Facile omnes quom valemus, recta consilia aegrotis damus.* — Nec minus apertum est et inlustre, cum verbis *dormiendi*, *somniandi aut vigilandi* animi aut actio

aut adfectus significatur, velut Ad. 693: *Credebas dormienti haec tibi confecturos deos?* — Andr. 971: *num ille somniat quae vigilans voluit?* — Ad. 724: *somnias.* — Ad. 204: *de argento somnium*, hic in hoc vocabulo alius sensus inest isque: *argentum numquam accipiam.* — Deinde *advigilare* Phor. 203: *te advigilare aequomst.* — Andr. 673: *si advigilaveris.* — Simile est *expergisci.* Ad. 631: *expergiscere.* — Contrarium *Quiescere.* Andr. 598: *quiescas.* — Andr. 604: *quod si quiessem.* Deinde ab his seiungendum non est verbum *defetigandi* Andr. 669: *deceptus sum, at non defetigatus.*

Iam accedamus ad metaphoras eas, quae fiunt, cum vocabula transferuntur corporis actionum propria aut adfectum in inanimas res et viventium instar animaque fruentium eae habentur. — Metaphora in nomine inest*).

Quorum nominum cum numerus sit permagnus ususque notissimus etiam in sermone communi, satis habebimus ut ante nomina adiectiva, substantiva adferre, ordinem in litteras digestum secuti. Mox exempli causa nonnullas translationes accuratius investigabimus.

Substantiva quae agentia finguntur, sunt haec: *aedes, aegritudo, aequanimitas, aetas, amor, animus, bonitas, calamitas, color, consilium, culpa, cupiditas, cura, desiderium, dolor, duritia, error, existumatio, facilitas, fallacia, fama, fides, fors, fraus, funus, infamia, inimicitiae, iniuria, inopia, ira, labor, laetitia, lascivia, licentia, libido, mens, memoria, metus, modestia, molestia, mors, mos, natura, necessitas, nox, obsequium, occasio, odium, opinio, pietas, potestas, pretium, prolubium, protervitas, pudor, rabies, ratio, res, rumor, satias, satietas, senectus, sententia, sermo, severitas, spes, studium, suspitio, tempus, tristitia, verbum, veritas, virtus, vis, vita, vitium, usus.*

Animus Haut. 208: *animus ubi semel se cupiditate devinxit mala.* — Ad. 226: *animus tibi pendet.* — Andr. 842: *animo otioso esse.* Fortasse Eun. 816: *Iam dudum animus est in patinis.* — *Mens* Eun. 729: *neque pes neque mens satis suom officium facit.* — *Memoria* Andr.

---

*) Cum haec scripsissemus, in conspectum nobis cecidit dissertatio de tropis et figuris Tibulli, quam scripsit M. Hansen. In hac perlegenda non intellexisse nos confitemur quae H. de his troporum formis pg. XVIII dissertationis legimus iudicasse. His enim nomen personificationis sive prosopopoeias attulit et naturam *inanimis rebus motuum animi tribuendorum.* H. hac in re valde erravisse apparet cum ex eo, quod ipse secum pugnavit, tum maxime ex Quintiliani de prosopopoeia definitione.

Ipse primum H. secum pugnavit, quod inter translationes hanc enumeravit Tib. II. 1, 43: *Tunc bibit inriguas fertilis hortus aquas,* cui verba apponit haec: *Hortus hoc loco animatur.* Ergo in his non translationem sed ex H. ipsius iudicio personificationem constat inesse. Quascunque ab H. enumeratas reperimus personificationes, pertinent ad unam omnes ad translationes, quoniam siquidem is recte disputasset, omnes eae verborum vel sermonis mutationes quas Quintilianus aliique grammatici inter metaphoras transtulerunt, false definitae essent, quae fiunt cum pro rebus animalibus inanima sumuntur. Confer Quintiliani de hac re verba Inst. Orator. VIII. 6, 10 et 11: „*Praecipue ex his oritur sublimitas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus.*"

Quod ut luce clarius reddamus, licebit grammatici de prosopopoeia verba adferamus: „*His (figuris) et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus, quae tamen ita demum a fide non abhorreant, si ea locutos finxerimus quae cogitasse eos non sit absurdum; et nostros cum aliis sermones et aliorum inter se credibiliter introducimus; et suadendo, obiurgando, querendo, laudando, miserando personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi et inferos excitare concessum est. Urbes etiam populique vocem accipiunt.*" Ergo ad eas formas seu figuras diiudicandas interest *ipsos sermones* hominum *assimulatos esse.* Quod cum in H. personificationes omnino non quadret, nos ab illo false eas tractatas atque in numero translationum habendas esse contendimus.

944: *memoriam meae voluptati obstare.* — *Fides* Ad. 307: *Quem neque fides neque ius iurandum repressit neque reflexit.* — Deinde contrarium *fallacia* Andr. 778, 9: *fallacia alia aliam trudit.* — *Obsequium* Andr. 68: *obsequium amicos, veritas odium parit.* — Ad. 470: *persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.* — *Mors* Andr. 297: *mors continuo ipsam occupat.* — *Verbum* Andr. 885: *istuc verbum vere in te accidit.* — *Mos* Hec. 239: *tuos esse ego illi mores morbum arbitror* Andr. 696: *conveniunt mores.* — *Aegritudo* Andr. 961: *si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.* — *Miseria* Ad. 603: *miseria tabescit.* — *Color* Andr. 878: *vide num eius color pudoris signum usquam indicat.* — *Oratio* Ad. 805: *nunc demum istaec nata oratiost.* — *Vitium* et *calamitas* Hec. 2: *novum intervenit vitium et calamitas.* — *Nox* Ad. 525: *prius nox oppressisset.* — *Suspitio* Ad. 615: *tanta suspitio de me incidit.* — Nec non in eodem numero habendae sunt translationes quae sequuntur. *Lingua* Eun. 977: *Lingua haeret metu.* Hec. 761: *lingua tua facilem me reddidit;* in iis quidem formis constat metonymiae vim inesse. Fortasse etiam in sequenti Phor. 1053: *quod tuo viro oculi doleant.*

Alter locus capit ea vocabula, quae ab hominum condicionibus translata sunt aut in homines aut in res. Frequentissima sunt exempla plurimaque tam lucida et aperta, ut interpretatione rara opus sit. Igitur primum dicamus de metaphoris, quae sumptae sunt ab universis, ut ita dicam, hominum condicionibus, velut a familia, a locis fortunisque, deinde a sententia verborum regendi, parendi, serviendi. Incipiat autem hoc agmen vocabulum *familia* Andr. 136: *reiecit se in eum quam familiariter.* — Andr. 111: *mortem fert familiariter.* Permulta alia huius translationis usu tritae exempla. — *Pater* Ad. 126: *consiliis pater.* Vide alia loca Ad. 456, 902. Ab hoc vocabulo derivatum est verbum *patrisso*, quod uno loco reperimus Ad. 564: *patrissas*, i. e. simillimus es patris. — *Auctor* Eun. 1013: *An paenitebat flagiti te auctore quod fecisset?* — Andr. 19: *Naevium, Plautum, Ennium — quos hic noster auctores habet.* — Iterum Ad. 939. — *Volgus* Andr. 582: *volgus servorum.* — Haut. 386: *vostrarum, volgus quae ab se segregant.* — *Populus* Andr. 185: *id populus curat scilicet.* Nomen adiectivum *popularis* bis legimus Phor. 35 et Ad. 155. — Ex lingua graeca sumptum est vocabulum *pompa* Haut. 719: *tua pompa eo traducendast;* idem significat quod volgus. — *Pars* Andr. 418: *nostrae timeo parti.* — Eun. 151: *priores partes apud me habere.* — Eun. 353: *severas fratris partes praedicas.* — *Locus* Eun. 241: *viden me ex eodem ortum loco,* idem Eun. 234: *conveni quendam mei loci hinc atque ordinis.* — *Liber, liberalis* saepissime, exempli gratia Andr. 330: *officium liberi hominis puto.* — Andr. 123: *forma liberali.* — *Obsequi* Hec. 459: *homo voluptati obsequens,* idem verbum Ad. 33. — Similiter *subservire* Andr. 735: *subservias orationi;* eodem sensu simplex Hec. 51. — *Indulgere* Ad. 63: *vestitu nimio indulges.* — *Sinere* Ad. 104: *non siit egestas.* — *Clemens* dicitur *servitus* Andr. 36. — *Gubernare* Hec. 311: *qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.* — Andr. 1046: *fortunam — quae gubernatrix fuit.* — Divitissimi significandi causa hominis translatio nota adhibetur *rex* Phor. 70: *Oh, regem me esse oportuit.* — In eundem sensum quadrat *satrapa* Haut. 452: *satrapa si siet amator,* et *regnum* Ad. 175: *regnumne hic tu possides?* Nec non rarissimum illud graece dictum, quod legimus Ad. 915: *ille Babylo.* Confer nostrum: „Nabob." Nos hoc nomen ab urbe derivavimus: *Babylo i. e. Babylonius vir.* (Forte nobis *Quaestiones onomatologicae* cum haec scripsissemus, in conspectum ceciderunt, ex quibus Ritschelii sententiam de hoc nomine adferimus: *Babylon, Babylo (Babulo) dispensator vel arcarius (aut argentarius) ut videtur.* Cf. Salmasium Exerc. Plin. p. 130, D.) Elegantia duo et praeclara exempla exstant metaphorae, quae a vocabulo *provinciae* derivata est Phor. 72: *provinciam cepisti duram.* — Haut. 576: *huic nostro traditast provincia.* *Provincia* pro *munere* adsumpta est. — Eodem

referendum videtur Andr. 548: *oro te, in commune ut consulas.* — Ab hominum *aetate* quam verbo tangamus, depromptae hae sunt translationes Phor. 49: *ubi initiabunt.* — Andr. 51: *excessit ex ephebis.* — Andr. 449: *Puerilest.* — Fortasse Ad. 304: *hocine saeclum!* — Uno loco *ambiendi* verbum cum pulcherrima mutatione adsumptum est Andr. 373: *nisi senis amicos oras, ambis.*

Nonnullas deinde metaphoras Terentius a *foro* duxit. Atque eam in eis spectandis sequemur partitionem, qua primum de vocabulis disseramus, quae propria sunt in rebus iudicialibus, tum de iis, quae a commercio sumpta sunt. *Iudex* Hec. 254: *corrigemus te iudice ipso.* — Haut. 213: *Quam iniqui sunt patres in omnes adulescentes iudices.* — Haut. 352: *Tu es iudex, ne quid accusandus sis vide.* — Semel *arbiter* Ad. 123: *cedo quemvis arbitrum.* Tum vocabulum *lex* Phor. 533: *mea lege utar.* — Andr. 200: *ea lege atque omine.* — Ad. 52: *pro meo iure agere.* — Ad causam litemque attinent haec vocabula *procedere* Ad. 979: *processisti pulchre.* — Ad. 897: *bene procedit.* — *Vincere*, cuius verbi proprius locus in causa est Andr. 892: *viceris.* — *Testis* Ad. 347: *testis mecum est anulus.* — *Tutela* Hec. 52: *in tutelam meam commisit.* — *Rivalis* Eun. 268: *video rivalis servom.* — *Patronus* Eun. 770: *huic ipsest opus patrono, quem defensorem paro.* — Eun. 887: *te mihi patronam capio.* — Denique *rem agere* Haut. 354: *quasi istic mea res minor agatur quam tua.* — A *poenis* Eun. 609: *nam domo exulo nunc.* — Haut. 728: *Syrus mihi tergo poenas pendet.* — Eun. 70: *Dabis ultro ei supplicium.* Vide Ad. 213. — Audax illa Phor. 978: *Non hoc publicitus scelus hinc asportarier in solas terras?* — Saepe *cruciandi* poena commemoratur velut Phor. 544: *me quaerere in malo iubeas crucem?* — A *sceleribus* Eun. 23: *exclamant furem, non poetam fabulam dedisse.* — Ad. 13: *furtum ne factum existumetis.* — Ex *conviciorum* numero huc referenda sunt *carnufex*, quod saepissime legitur, et ex lingua graeca sumptum *sycophanta* Haut. 38.

Sed ut iam ad metaphoras transeamus, quae ex commercio quasi derivatae sunt, incipiamus ab loco Phor. 79: *scisti uti foro.* — *Pendendi* verbum usitatissimum est, cuius usus haec exempla adferre contenti sumus Andr. 526: *parvi pendo.* — Ad. 452: *pater nili pendit.* Eun. 94: *istuc factum nili penderem.* — Eun. 411: *ego non flocci pendere.* — Deinde Ad. 879. Haut. 155. — *Referre* Eun. 445: *par pro pari referto.* — Eun. 719: *inveniam parem ubi referam gratiam.* — Deinde *solvere* Andr. 643: *solvisti fidem.* — Aliter res se habet Ad. 164: *neque tu verbis solves.* — Haut. 508: *dissolvi me.* — *Redimere* Eun. 74: *redimas captum quam queas minumo.* — *Commutare* Andr. 410: *commutaturum patrem unum esse verbum,* eodem sensu Phor. 638: *tria non commutabitis verba.* — *Credere* et verba cum *fide* coniuncta Phor. 61: *Verere verba ei credere, quoius tu fidem in pecunia perspexeris?* — Hec. 108, 9: *tam ut tergum meum suam in fidem committam?* — *Faenerare* Ad. 219: *non tibi istuc faeneraret?* — Phor. 493: *faeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.* — *Debere* Phor. 661: *quid si animam debet?* istud quidem cum vi hyperboles. — Uno loco *discribendi* verbum, quod dicitur de eo, qui foro cedit Phor. 622, 3: *argentum rursum iube rescribi, quod discripsi porro illis?* — *Pretium* Andr. 609: *ego pretium ob stultitiam fero.* — Andr. 39: *summum pretium persolvi tibi.* — Eleganter dictum Ad. 219: *ego spem pretio non emo.* — Hec. 799: *operam deputat parvi preti.* — Haut. 48: *pretium statui arti meae.* — *Unciatim* Phor. 43: *quod ille unciatim vix de demenso suo compersit miser.*

Sat multa quoque exempla exstant translationum, quas poeta ab artibus sumpsit, perpauca quidem nominum, verborum ad unum fere omnia. Phor. 259: *o artificem probum!* — Reliqua nominum translatorum exempla a schola sunt adhibita doctrinaque,

igitur ea hic adscribantur. Sunt autem haec: *Magister* Andr. 192: *Si quis magistrum cepit improbum.* — Hec. 204: *magistra ludi.* — Eadem vi vocabulum *corrector* Ad. 742: *paedagogus* Phor. 144: *quid paedagogus ille?* — Haut. 875: *praemonstrator.* — His contrarium *discipulus* Andr. 477: *Num immemores discipuli?* — *Stilus* Andr. 12: *dissimili stilo.* — Eun. 1093: *Attica elegantia.* — Eun. 263, 4 risus causa Gnatho servus loquitur de *discipulis*, quibus philosophorum morem secutus nomen apponit: *gnathonici.* Ea forma pro antonomasia videtur habenda esse. Cf. Inst. Orator. VIII, 6. 29: quae aliquid pro nomine ponit et per epitheton, quod detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine, *Tydides*, *Pelides.* — *Fabulae* vocabulo exprimitur res, quae omnino fieri non potest Andr. 224, 553, Phor. 492, Andr. 929. In sequenti versu hunc locum tenet aliud ex lingua graecá vocabulum delatum *logi.* — Paulo alia res est Hec. 620: *postremo nos iam fabula sumus.* — Eadem actio irrita loquendi significatur translatione Phor. 495: *Cantilenam eandem canis.* — Uno loco *cantare* ponitur pro *describere.* Haut. 260: *qui harum mores cantabat mihi.* — *Scribere* Andr. 283: *scripta illa dicta sunt in animo.* — Contrarium *delere* Eun. 269: *deleo omnis dehinc ex animo mulieres.* Propria huius verbi sententia attinet ad litteras digito aut stilo delinendas. — Uno loco *patrium monumentum* i. e. patrius sermo Eun. 13: *unde in patrium monumentum pervenerit.* — Ad philosophorum mores deinde pertinent *invenire* Eun. 247: *ego adeo hanc primus inveni viam* (docendi) et *sectari* Eun. 262: *sectari iussi* (i. e. discipulos). — *Corrigere* saepe ut Eun. 737, Andr. 596. — His translationibus ascribantur perpaucae aliae, quas Terentius ex fabula graeca sumpsit aut ex historia rerum gestarum. Andr. 194: *Davos sum, non Oedipus.* — Eun. 1027: *Qui minus quam Hercules servivit Omphalae.* In quibus nihil obscuri inest. — Una metaphora ex historia derivata Eun. 783: *idem hoc iam Pyrrhus factitavit*, nempe sibi ut miles Eunuchi gloriosus post principia cavit loco. — Audacior nec non elegantior cum ipso nomine careat, translatio est, quae legitur Eun. 1085: *satis diu iam hoc saxum vorso.* Eam ad Sisyphi fabulam pertinere apparet.

Legimus Andr. 698: *Non Apollinis magis verum atque hoc responsumst.* Qua translatione transeamus ad eas, quae derivatae sunt a deis. In harum multis aut metonymiae aut hyperboles i. e. decentis veri superiectionis vim inesse exemplis, quae sequuntur, elucebit. Haut. 693: *Deorum vitam apti sumus.* — Phor. 345: *non tu hunc habeas plane praesentem deum?* — Hec. 843: *Deus sum, si hoc itast.* — Ad. 535: *facio te apud illum deum.* — Ad. 770: *De. Tu si meus esses* — *Sy. Dis quidem esses.* — Uno loco cum *nomine divino* Ad. 761: *ipsa si cupiat salus, servare non potest.* — Metonymice dicta haec est Eun. 732: *sine Cerere et Libero friget Venus*, quae metaphora usu trita erat. — Mutatio paulo alienior inest in sequenti Haut. 1035/6:

Non si ex capite sis meo
Natus, item ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis patiar.

Quo in dicto acumen non satis videtur dilucidum esse, quoniam cum fabula mirae originis deae sententia praecipuae caritatis omnino non coniuncta est. — Pulchre dictum Ad. 184: *Debacchatus es*, i. e. ad te redisti. — *Genius* Phor. 44: *suom defrudans genium*, i. e. se ipsum, quae nota translatio apud Plautum et Lucilium legitur. Contrarium: *genio indulgere.* Uno loco reperimus vocabulum *deus* pro *domino* Phor. 74: *memini relinqui me deo irato meo.* — Nec plures poeta translationes ex rebus divinis sumpsit. *Hariolari* bis Ad. 202, Phor. 492. — *Vovere* Hec. 434/5: *vovisse hunc dicam, ut me ambulando rumperet.* — *Aucupium* Eun. 247: *hoc novumst aucupium.* — Quibus multo elegantior quae est Haut. 975:

nec tu aram tibi nec precatorem pararis. Verba dicit dominus iratus, ut noxium servum securum reddat.

Nobilissima deinde ars est fingendi, ex qua metaphorae hae oriuntur. Sine nomine exempli causa Andr. 334: *facite, fingite, invenite.* — Cum vocabulo *fallacia* coniunctum Haut. 533, Andr. 220; — idem denotat *fabrica* Haut. 544 et Eun. 200: *neque me finxisse falsi quicquam.* — *Causam fingere* Eun. 138. — Hec. 693: *confingis fabulas, causas,* — idem verbum Andr. 558: *lacrimae confictae dolis.* — Audacter quidem sed pulcherrime Haut. 887: *voltus quoque hominum fingit scelus* et Haut. 898: *Sed ille tuom quoque Syrus idem mire finxit filium.* — *Depingendi* in verbo vis descriptionis inest, quod uno loco reperimus Phor. 268: *Facta depinxit senex.* Aliter *impingere* Phor. 439: *dicam tibi inpingam grandem.* Confer nostrum „anstreichen." Haut. 289: *nulla mala re esse expolitam muliebri**).

Ex arte ferraria saepissime verbis *tundendi et obtundendi* exprimitur male *tractare* aliquem, velut *verbis, rogitando, precibus.* Eun. 554: *Qui me rogitando obtundat.* — Andr. 348: *obtundis.* — Hec. 123: *tundendo effecit senex.* — Haut. 879: *deos gratulando obtundere.* — Ad. 113: *ne me obtundas de hac re.* — Tum *fodere, ecfodere,* quamquam erunt, qui eas putabunt alio referendas esse translationes. Hec. 461: *Noli fodere.* — Eun. 739: *Oculi illi ilico efodientur.* — Similiter *exculpere.* — Eun. 712: *Possum ne ego hodie ex te exculpere verum?* — *excutere* Haut. 167: *Lacrumas excussit mihi.* — Tum *cudere* Haut. 740: *argentum cudo.* — Eun. 381: *istaec in me cudetur faba,* quod proberbii loco usitatum propter duras fabas dicitur. — *Acuere* Ad. 835: *illos aetas acuet,* quae translatio frequentissima est. — Ex tonstrina translata sunt *conradere, abradere.* — Haut. 141: *conrasi omnia.* — Phor. 40: *munus hoc conraditur.* — Ad. 242: *minas decem conradet alicunde.* — Phor. 333: *unde aliquid abradi potest.* — Sequitur ars medicinae. *Remedii* vocabuli nonnulla cum verbo coniuncti exempla reperimus velut Andr. 468: *Quod remedium nunc huic malo inveniam?* — Andr. 831: *gnato ut medicarer tuo.* — Eun. 439: *Haec res solast remedio.* — Haut. 539: *Magnarum saepe id remedium aegritudinumst.* — Eodem sensu Haut. 100: *aegrotum animum adulescentuli tractare.* Audacissimum, quod amata amato dicit Ad. 294: *solus mearum miseriarumst remedium.*

Fabri lignarii propria haec verba sunt *caedere, rescindere, conglutinare.* Haut. 242: *dum sermones caedimus.* — Phor. 455/6: *mihi non videtur quod sit factum legibus, rescindi posse.* — Andr. 913: *meretricios amores nuptiis conglutinas.* — Cogatur denique hoc agmen vocabulorum, quae proprium locum in artibus habent, variis his translationibus. — *Suere* uno loco: Phor. 495: *ne quid suo suat capiti,* quod in proverbium cessit. — *Ducere, producere* Andr. 180: *nos duci falso gaudio.* — Andr. 648: *falsa spe produceres,* idque permultis locis. — *Miscere* Haut. 783: *Tu istaec tua misceto, ne me admisceas.* — Similem sensum praebet *contaminare.* Bis in prologis de fabulis adhibito in hoc verbo sensus notissimus inest. Andr. 16, Haut. 17. — Alia res est Eun. 552: *Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.* — *Instruere* Haut. 449: *Quam ea nunc*

---

*) In hoc versu Bentleius haeret propter vocabula *esse* et *expolitam.* Certe illud verbum nullum hic locum habet et absurde positum videtur ad verum sustentandum. Vir doctissimus coniecit verbi inepti causa: *nulla mala re interpolatam muliebri.* Quae coniectura eundem sensum praebet, quem antiqua lectio. Cum utrumque et expolitam et interpolatam semel dictum sit apud Terentium, totam rem in dubium vocemus.

instructa pulchre ad perniciem siet. — *Invenire* Phor. 540: *invenias argentum*, audacter quidem. — *Conterere* Hec. 815: *cursando — totum hunc contrivi diem.* — Phor. 209: *Quid hic conterimus operam frustra?* — Ad. 869: *contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam.* — Ipsum *artis* vocabulum Haut. 226: *artis ignaram meretriciae.* — Ad. 259: *primarum artium magis principem.* — *Techina* Haut. 470: *falli te sinas techinis.* — Eun. 718: *Parmenonis scio esse hanc techinam.* — *Extortor*, *contortor* utrumque Phor. 374: *Bonorum extortor*, *legum contortor.* Hoc idem est quod nos dicimus „Rechtsverdreher".

Ex artibus postquam quae metaphorae assumptae sunt, intelleximus, transeamus ad hanc huius generis partem, qua de vocabulis agendum est in aliis honimum condicionibus propriis, velut in agricultura. — Nonnullis locis servorum multitudo cum bestiarum grege comparatur. Unde vocabulum *grex* mutatum et verbum *segregare.* — Eun. 1084: *Oro ut me in vestrum gregem recipiatis.* — Alia loca: Haut. 45, Haut. 245, Phor. 32, Ad. 362. — *Segregare* Andr. 291: *ne abs te hanc segreges.* — Hec. 480: *segreganda aut mater a me est aut Philumena.* In ipso *segregandi* verbo igitur vis humilis non inest. — *Crescere* Phor. 781: *plagae crescunt.* — Haut. 28: *date crescendi copiam.* — Andr. 540: *oro per amicitiam, quae a parvis adcrevit.* — *Alere* Andr. 250: *aliquid monstri alunt.* — *Pascere* Phor. 85: *oculos pascere*, quae metaphora in nostram linguam abiit, cum dicimus „Augenweide". — *Perdurare* Hec. 269: *Non posse se perdurare* i. e. aliquem perferre. — *Maturare* Andr. 517: *nuptias ut maturem.* Idem Haut. 496. — *Praecidere* Hec. 598: *omnis causas praecidam omnibus.* — *Excerpere* Phor. 698: *Tu id quod bonist, excerpis.* — *Stimulare* Haut. 223: *me amicae dicta stimulant.* — *Eradicare* reperitur in conviciis Andr. 701: *Di te eradicent*, idem Haut. 589. — *Fructum ferre* Ad. 570: *hoc fructi fero odium.* — *Derivare* Phor. 323: *In me omnem iram derivem senis?* — *Adiungere* Andr. 56: *ut animum ad aliquod adiungant.* Simili modo Ad. 72, 67, 927. *Adfinem esse* Haut. 215: *Neque illarum adfines esse rerum.* — *Rastrum* cum verbo coniunctum semel Haut. 931: *ad rastros res redit* i. e. diminuta est. — Adiectivorum nominum et participiorum nonnulla exstant exempla velut *Attentus* Andr. 303/4: *animus in spe atque in timore attentus.* — Tum *aridus* Haut. 526: *sed habet patrem aridum*, i. e. avarum. — *Obsitus* Eun. 236: *pannis annisque obsitum*, idem Haut. 294. — *Mansuetus* Andr. 114: *mansuetique animi.* — *Delirans* Ad. 761: *senex delirans.* Id verbum saepe usitatum habet proprium locum in aratro, quod a sulco abscedit. — Quas metaphoras ab agricultura derivatas enumeravimus, earum nonnullas et quae in verbis insunt et quae nominibus continentur, etiam alio loco referri posse non negaverimus, ubi vocabula investiganda sunt aut bestiarum (velut *pascere*) aut rerum inanimarum propria (velut *aridus*, *obsitus*).

A re maritima perpaucas metaphoras poeta quasi derivavit; quas reperimus, hae sunt: *Adpellere*, *impellere* metaphorice dicta sunt de animo Andr. 1: *poeta cum primum animum ad scribendum adpulit.* — Andr. 446: *animum ad uxorem adpulit.* — Andr. 266: *dum in dubiost animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.* — Reliqua huius translationis notissimae licebit omittamus exempla. — Multo pulchriores cum audaciores sint, hae Andr. 845: *omnis res est iam in vado*, i. e. in tuto; idem fere Andr. 480: *ego in portu navigo.* — Contrarium Phor. 689: *te ad scopulum ex tranquillo auferat.* — Ad has ascribemus unam translationem a piscando ortam Phor. 382: *Proinde expiscare quasi non nosses.*

Rei militaris propria deinde vocabula reperimus translata permulta. Igitur saepissime amantium irae comparantur cum condicione bellica velut Eun. 60: *indutiae, bellum, pax rursum.* — Eun. 53: *infecta pace ultro ad eam venias* et eodem sensu meretricio Andr.

*

82: *captus est, habet.* — Eun. 179: *Labascit, victust.* — Amanti irato cui nemo medeatur, servus suadet Eun. 74: *te redimas captum quam queas minumo.* — Iterum meretrix veterana aliam hunc in modum monet Hec. 65: *hortor ne quoiusquam te misereat, quin spolies, mutiles, laceres quemquam nacta sis.* — Tum Hec. 70: *Hiscine — insidiabere?* 72: *iniurium autemst ulcisci advorsarios? Aut qua via te captent, eadem ipsos capi?* Pulcherrima huius modi est translatio quae reperitur Hec. 789: *Nam nupta meretrici hostis est.* — Nec non filii adulescentuli uxorem ducere aegre ferebant, ut *nuptias fugientes* fingantur velut Andr. 322: *Nuptias ecfugere.* — Idem verbum cum alio nomine coniunctum Andr. 247: *adfinitatem ecfugere.* — Ad. 954: *maculam ecfugere.* — Simplex Haut. 166: *Non convenit nunc me ipsum fugere.* — In nuptiis fugiendis filii a servis adiuvabantur, qui dominis insidiati eorum hostes appellabantur. Eun. 532: *dic ego mi insidias fieri?* — Hec. 198: *quae haec est coniuratio?* — Phor. 229/30: *ego in insidiis hic ero subcenturiatus.* — Pertinent huc praeterea Andr. 479: *me si in veris nuptiis adortus esset.* — Andr. 909: *itane huc paratus advenio?* — Haut. 514: *Num me fefellit hosce id struere?* — Haut. 669: *in angustum oppido nunc meae coguntur copiae.* — Andr. 670: *hac non successit, alia adgrediemur via.* — Haut. 494: *paratus sum* — eodem sensu Andr. 719: *virum in quovis loco paratum.* — Andr. 227: *ne imprudentem opprimat.* — Iam reliqua vocabula liceat adferamus, quae rei militaris propria mutantur. Idem verbum *opprimendi* reperitur saepe velut Andr. 181: *oscitantis opprimi.* — Eun. 607: *Interea somnus virginem opprimit.* — *Advorsari* Hec. 245: *lubidini advorsabor* — *Prendere* Haut. 509: *Syrus est prendendus.* — *Fugere* Phor. 763: *Ita fugias ne praeter casam.* — Hoc unum amplissimi usus exemplum attulimus, quod ea translatio proverbii loco celebrata est. — Adiectivum *fugitivus* audacissima legimus mutatione Haut. 678: *retraham hercle illud fugitivom argentum tamen.* — *Conflictari* Andr. 93: *qui cum ingeniis conflictatur eius modi.* — *Obtrudere* Andr. 250: *ea nemini obtrudi potest.* — *Depecisci* uno loco Phor. 166: *iam depecisci morte cupio*, hoc quidem eleganter dictum. — *Invadere* Hec. 351: *dolor repente invasit.* — *Vincere* (de hoc verbo vide quae supra diximus in metaphoris ex re iudiciaria derivatis) Eun. 727: *vicit vinum.* — *Praeficere* Eun. 541: *Chaeream ei rei prafecimus.* — *Despoliare* Andr. 816: *ipsam despoliare.* — *Exercitatus* Hec. 467: *amor me ad hanc rem exercitatum reddiderit.* — *Triumphare* Eun. 394: *id vero serio triumphat* — item *demunerare* quod pulcherrima translatione dictum reperimus de amatae ancillis. — Haut. 300: *demunerarier ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam.* — *Accingere* semel Eun. 1060.

Ab usu armorum hae metaphorae sumptae sunt Haut. 513: *intendenda in senemst fallacia.* — Andr. 125: *percussit ilico animum* Phor. 213: *ne te iratus suis saevidicis dictis protelet.* Eadem verba alia imagine cum armis comparantur Phor. 500: *ut phaleratis dictis ducas me.* — *Praesidium* bis repertum Hec. 119: *praesidium velle senectuti suae.* — Haut. 967: *Ibi tuae stultitiae semper erit praesidium.* — Quo loco quae metaphorae a stadio circoque derivatae sunt, ascribantur licebit. Phor. 964: *Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam,* quae translatio est dilucida neque non Haut. 672: *si licet me latere tecto abscedere* et quae legitur Ad. 958: *suo sibi gladio hunc iugulo.* — *Pugil* uno loco translatum in virginem nimis crassam Eun. 315: *Si quasi habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum.* — Notum neque obscurum quod legimus: Ad. 860: *prope excurso spatio.* Audacior metaphora exstat Eun. 640: *certe extrema linea amare haud nil est* i. e. *procul amare.*

Ultima huius generis parte comprehenduntur perpauca vocabula, quae propria in ludis

puerorum transferuntur. Velut *ludere* Andr. 787: *non credas Davom ludere* — *deludere* Andr. 203 — *inludere* Andr. 758: *in quibus inludatis.* — Pulchrior Andr. 822: *paene inlusi vitam filiae.* — *Ludificari* in obscoenam partem Eun. 645: *postquam ludificatust virginem.* — *Ludus* Andr. 479: *quos mihi ludos redderet.* — Huius usus notissimi sat multa exempla reperiuntur. — Totum hoc agmen cogatur metaphora, cui inmixta, ut ita dicam, comparatio est, quae legitur Ad. 739—41:

Ita vitast hominum, quasi quom ludas tesseris,
Si illud quod maxume opus est iactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Alterum genus metaphorarum est, ubi vocabula, bestiarum propria, de hominibus usurpantur. Satis rara sunt huius usus exempla, quae ex anonymi grammatici sententia quam supra laudavimus, bipartito investigabimus. Ut in communi sermone persaepe bestiarum nomina pro conviciis sunt adhibita velut *monstrum* Eun. 696: *monstrum hominis.* Eun. 656: *Quid istuc nam monstrum fuit?* — Eun. 334: *Eho, nonne hoc monstri simile est?* Alia. — Tum *Belua* Eun. 704: *age nunc belua.* — *Canis* Eun. 803: *ain vero canis?* Paulo aliter se habet celebratissimum illud quod legimus Ad. 537: *lupus in fabula.* — Nomen abstractum in bestiis proprium reperimus translatum *rabies* Eun. 301: *Ludum iocumque dicet fuisse illum alterum praeut huius rabies quae dabit.* — Fortasse metaphora quoque Haut. 521: *Aquilae senectus.* — Adiectivorum nominum denique haec exempla exstant *saevus* Phor. 744: *conclusam hic habeo uxorem saevam.* — *Mustelinus* Eun. 689: *colore mustelino.* — Neque non *caesius* quod nomen in felium oculis proprium Haut. 1062: *virginem caesiam.* — Sequuntur actionum in bestiis propriarum denominationes quae transferuntur. Cuius usus sat habebimus haec exempla adferre. *Arrigere aures* Andr. 933: *arrige auris, Pamphile.* — *Gannire* de loquaci homine Ad. 556: *quid ille gannit?* — compositum *oggannire* Phor. 1030: *Dum vivat, usque ad aurem oggанniat.* — *Mordere* Eun. 445: *quod eam mordeat?* — *Perreptare* Ad. 715: *perreptavi usque omne oppidum.* — *Volare* cum compositis Hec. 438: *vola.* — Hec. 40: *populus convolat.* — Eun. 648: *ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico.* — Eun. 859: *vix me contineo quin involem monstro in capillum.* — Tum duorum verborum translationes, quae proprium locum in venatione habent, dico in bestiis et quae se venatorum retibus liberant et quae his capiuntur. Verba sunt *expedire, impedire*, cuius metaphorae haec exempla sufficient. — Andr. 617: *miserum impeditum at iam expediam;* et cum Ablativo nominis Ad. 614: *me expediam cura.* — Eodem sensu, simili imagine adhibetur verbum *evolvere* Eun. 723: *te omni turba evolves.* — Hec. 792: *illas errore et te simul suspitione exolves.* — Paulo aliter se habent metaphorae, quae leguntur Phor. 78: *advorsum stimulum calces* i. e. frustra laborem suscipere, quae usu trita. — Eun. 496: *Domini simiu's* et Eun. 832: *ovem lupo commisti.* — Tum Phor. 330: *non rete accipitri tennitur neque miluo — illis qui nil faciunt, tennitur* in quibus nemo haerebit. — Longius videtur neque absonum Phor. 506: *auribus teneo lupum* i. e. summis in angustiis versor. — Comparatio est cum legimus Eun. 1024: *Egomet meo iudicio miser quasi sorex hodie perii.* — Denique Eun. 426: *Lepus tute es, pulpamentum quaeris?* Dictum Livii Andronici quid acumen hoc nostro loco habeat, misere

se torserunt interpretes. Contextus causa versus antecedentes ascribantur licebit. Thraso miles in Eunucho gloriatur apud Gnathonem parasitum rebus a se gestis, praecipue ingenii sui acie.

— — — — Th. Una ín convívio
Erat híc quem dico, Rhódius adulescéntulus.
Forte hábui scortum: coépit ad id adlúdere
Et me ínridere. 'quíd ais' inquam homini 'ímpudens?
Lepus túte es: pulpaméntum quaeris? — — —

Dicti acumen hoc loco in oppositione inesse inter *leporem* et *pulpamentum* apertum videtur. Igitur quod pulpamentum ex carne constat, lepus ipse herbis vescitur, illud huic non convenit, ut imbecillissimae bestiae. Ergo miles vetere illo dicto dicere videtur voluisse: abstine Venere, cui non maturus sis.

Iam ad ultimam perventum est disputationis partem, qua nobis de vocabulis dicendum esse ante intelleximus, quae propria in inanimis apud Terentium translata reperiuntur. Eum quoque locum in duas partes dividi cum comprobaverimus par esse, primum disseramus inanimorum de translationibus quae insunt in rerum natura, altero loco metaphorae spectentur, ab vocabulis derivatae iis quae sub sensus non cadunt. Atque illas postquam primum de vocabulis diximus, quae cum proprie ponantur de rebus, quae insunt in rerum natura, translata reperiuntur in res sub sensus non cadentes, in eum modum tractemus licebit, ut una metaphora de caeli vocabulo allata, initium fiat ab rebus iis quae oriuntur a terra, deinde de rebus fluidis videamus, quae translationes sumptae sint, tertium sit ut vocabula quae propria sunt de aere, commemorentur, quartum ignis, denique earum rerum vocabula propria investigemus, quae hominum manu, opera consilioque facta sunt. Atque primum disseramus de vocabulis rerum propriis, quae insunt in rerum natura, in res translatis quae sub sensus non cadunt. Inanimum ponitur pro inanimo. Qua in parte perpaucis complectemur nominum exempla, quorum de numero longe amplissimo aliis locis disseruimus. *Locus* Andr. 320: *neque consili locum habeo.* — Andr. 206: *nil locist segnitiae neque socordiae.* — Andr. 601: *nil est preci loci relictum.* — Hec. 303: *quae numquam in ullo patefecit loco.* — Ascribantur licebit metaphorae, quae cum sententia loci cohaerent Hec. 276: *sum extra noxiam.* — Deinde adiectiva *vacuus* Andr. 706: *vacuom ad narrandum.* — *Intumus* Andr. 576: *intumus eorum consiliis.* — *Proxumus* Andr. 636: *proxumus sum egomet mihi.* — *Proclive* Andr. 78: *ingeniumst hominum proclive ad lubidinem.* — Verborum in hunc modum translatorum cum numerus sit permagnus neque obscurus usus, paucis his exemplis contentus sis. Igitur verbum *cadendi* eiusque composita persaepe transferuntur velut Haui. 250: *quanta de spe decidi.* — Andr. 423: *erus uxore excidit.* — Andr. 782: *in malum paene incidi.* — Andr. 358: *incidit suspitio.* — Sexcentaque exempla alia. — *Versari* Andr. 649: *quantis in malis vorser.* — *Cohaerere* item in hunc modum transfertur Andr. 560. — *Excludere* Andr. 385: *ut ab illa excludar, huc concludar.* — *Occludere* Andr. 557: *lubido occlusast contumeliis.* — *Explere* cum *animo* coniunctum saepe, velut Andr. 188, 339. — *Amovere* Andr. 307: *istius amorem ex animo amoveas.* — *Impendere* Phor. 580, 1: *tanta te impendent mala.* — *Offirmare* Hec. 454: *certum offirmare est viam.*

Ab caelo una metaphora derivata est Haut. 719: *Quid si redeo ad illos qui aiunt: quid si nunc caelum ruat?* significandi causa hominis cautissimi vel anxii. — Pauca exempla exstant metaphorarum a rebus sumptarum, quae a terra oriuntur velut *lapis* Haut. 831: *quid stas lapis?* — Haut. 917: *ni essem lapis.* — Hec. 214: *me omnino lapidem putes,*

quo vocabulo stultus homo describitur. Eodem sensu leguntur *stipes* et *caudex*, quibus cum consentit, si nos dicimus: „Klotz." Haut. 877: *caudex, stipes, asinus plumbeus.* — Hyperbolice dictum reperimus celebratissimum illud *montis auri polliceri* Phor. 67: *montis auri pollicens.* — Ab vocabulo *lapis* derivatum est verbum *dilapidandi* i. e. consumendi vel dissipandi. Phor. 898: *dilapidat nostras triginta minas.* — *Later* Phor. 186: *laterem lavem*, i. e. irrita facere. — *Lutum* Phor. 780: *in eodem luto haesitas, vorsura solves*, i. e. in peius incides. Altera huius translationis pars *vorsura solves* rectius alii loco apponitur ubi de metaphoris diximus a foro quasi derivatis. — Plantarum nomina translata reperimus ea: *Flos* Eun. 319: *flos ipsus.* — *Iunceus* a *iunco* Eun. 316: *reddunt curatura iunceam* i. e. tenerrimam. — *Scirpus* Andr. 941: *nodum in scirpo quaeris* i. e. irrita agis. — *Fucus* Eun. 589: *fucum factum mulieri* i. e. *decipere.* — Huc referendum videtur Eun. 400: *qui habet salem*, quod usitatissimum aeque atque adiectiva *sulsus, insulsus*, cuius usus exemplum legimus Eun. 1079. — *Amarus* Hec. 710: *amarae mulieres sunt.* — Nominum adiectivorum deinde et adverbiorum quae hunc locum obtineant metaphorae, plurimae nisi alio loco eas commemoravimus, sunt usu tritae adeo, ut satis habeamus perpauca exempla adferre. *Humilis* Hec. 380: *ita magni atque humiles sumus.* — Contrarium reperimus Hec. 507: *sublati animi sunt.* — *Firmus* Hec. 746: *quaere alium tibi firmiorem.* — Andr. 571: *generum firmum.* — *Solidus* Andr. 647: *solidum gaudium.* — Eun. 318: *color verus, corpus solidum et suci plenum.* -- *Duriter* Andr. 74: *vitam duriter agebat.* — *Horridus* Phor. 106: *ipsa horrida.* — *Mitis* si quidem id vocabulum ab frugibus maturitatem sentientibus derivetur Ad. 276: *mitis est.* — Fortasse Hec. 440: *rubicundus, crispus, crassus, caesius, cadaverosa facie.*

Ut iam de rebus fluidis videamus, quarum translationes ad unam omnes in verbis insunt, reperimus Eun. 105 sqq. metaphoram elegantissimam, qua Parmenio servus sibi fabulam narrari ratus se ipsum cum amphora comparat plena rimarum, ex quibus false dicta ecfluant; haec dicens agitur: *Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo* — tum alio loco vs. 121: *Utrumque hoc falsumst, ecfluet.* — Similis sensus *divulgandi* exprimitur *permanando* Ad. 283: *ad patrem hoc permanet.* — Aliter se habet cum legimus Ad. 134: *profundat, perdat, pereat.* — Ad. 991: *ecfundite*, ubi prodigi vel profusi homines describuntur. — Uno loco *verba fundere.* Ad. 769: *Tu verba fundis hic, sapientia.* — *Emergere* compluribus locis transfertur velut Andr. 562: *sese emersurum malis.* — Eun. 555: *unde emergam.* — Ad. 302: *tot res circumvallant, unde emergi non potest.* Quae translatio audax est, quoniam verbis *circumvallandi* et *emergendi* duae imagines prorsus abhorrentes commiscentur. Adverbium *liquido* semel Andr. 729: *ut liquido possim.* — Deinde nonnullae metaphorae neque obscurae a verbo *frigendi* sumptae et de hominibus et de rebus dicuntur. De hominibus velut Eun. 268: *ni mirum, hisce homines frigent.* — Phor. 994: *tange, si non totus friget, me enica.* Confer nostrum: „starr sein." — De rebus Eun. 516/7: *sermonem quaerere ubi friget.* — Ad. 233: *refrixerit res.*

Tum aliquot praeclara exempla metaphorarum investiganda sunt, quas poeta ab aere deprompsit. Sunt haec: *Imber* uno loco nomine *aureus* apposito transfertur Eun. 585: *misisse aiunt imbrem aureum.* — Eadem Iovis, ut ita dicam, metamorphosis exprimitur versu 589: *pluvia.* — Eun. 589: *venisse clanculum per pluviam**).

---

*) Ex Umpfenbachii auctoritate versus 588,9 in codice A nobilissimo et antiquissimo inter Vaticanos n. 3226 cum rell. in hunc modum leguntur:

Deum sése in hominem cónvertisse atque in (per) alienas tegulas
Venisse clánculum per inplúvium fúcum factum múlieri.

Verbum *conflandi* saepe velut Andr. 650: *quantas conflavit sollicitudines.* — Eun. 874: *malo principio magna familiaritas conflatast.* — *Susurrare* Andr. 779: *susurrari audio.* — Haut. 473: *Syrus cum illo vostro consusurrant.* Has translationes cum verbum *susurrandi* etiam de apibus proprie dictum reperiatur, alio quoque loco referri posse negari nequit, quamquam prius verbo lenem ventum significatum esse nobis quidem certum videtur.

Restat ut ad vocabula translata accedamus earum rerum propria, quae hominum manu, opera, consilio factae sunt. *Columen* Phor. 287: *columen vero familiae.* — *Crux* Eun. 383: *illis crucibus quae nos semper cruciant, referam gratiam?* Confer nostrum: „Säule" et „Hauskreuz", quibus verbis nos eadem mutatione utimur. Neque iis obscurior est metaphora Ad. 444: *huius generis reliquias restare video.* — Convicii causa transferuntur vocabula *carcer*, *sterculinum*, *silicernium* eaque sordide et deformiter Phor. 373: *Ain tamen carcer?* — Phor. 526: *sterculinum.* — Ad. 587: *silicernium* i. e. proprie dictum de epulis, quae si quis mortuus erat, celebrabantur. — Inanima deinde pro inanimis ponuntur velut *fenestra* pro *occasione* sive *facultate* Haut. 481: *quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.* — Tum *restis* pro *angustiis* Phor. 686: *ad restim res redit mihi.* — *Crux* pro *miseria* Phor. 544: *quaerere in malo iubeas crucem.* — Comparationis vi indutae sunt, quae sequuntur metaphorae Ad. 415: *inspicere tamquam in speculum in vitas omnium.* — Ad. 428: *tamquam in speculum in patinas inspicere iubeo.*

Ultima ultimi generis parte, ut de ea videamus, agendum est de translationibus, quae fiunt cum res quae sub sensus non cadunt, pro rebus animis ponuntur. Pauca exstant exempla eaque dilucida. Convicii causa, a quo initium capiamus, dicta sunt Ad. 189: *pestis.* — Ad. 188: *pernicies communis.* — Saepe *scelus* Andr. 317: *abin in malam rem scelus;* idem Andr. 607. — Ad. 314: *qui illud produxit scelus?* — *Exemplum* uno loco Andr. 92:

Quorum verborum offendunt inter alios praecipue Bentleium haec: *hominem — in — inpluvium.* Quod ad vocabulum *hominem* attinet, rectissime vir doctus secundum veteres Iovem etiam in caelo humana fuisse forma adnotat, igitur deum se in hominem convertere non potuisse, praesertim cum ex fabula ipsa deum in aurum se convertisse notum sit. Qua de causa Bentleius coniecit *in aurum* aut Horatium (carm. III. 16) secutus *in pretium.* Quas coniecturas etsi optime in sensum quadrant, in textum vix recipias, cum verbi traditi litterae nimis ab iis coniectorum abhorreant.

Fortasse si nugam meam adferre licebit legi potest: *Deum sese indigne convertisse,* ut ipsa mutationis ratio velut versibus antecedentibus nota omittatur. Quo constituto versus sequentes qui aliter vix intelligi possunt: *At quem deum! — Ego homuncio hoc non facerem?* sensum praebent: Si deorum regi hoc indignum facere licet, quin ego homuncio faciam. *Impluvium* deinde ineptum quod Iuppiter si per id deciderit, non proprior fuerit Danae cubiculo quam si foris in via esset (B). Igitur hic viri doctissimi coniecturam *per pluviam* accipiamus oportet, quam Fleckeisenus in recensione Terentii non probavit, cum scripsit *per pluvium*, i. e. *inpluvium.* Hanc Bentleii coniecturam cum recepimus, causa non est cur ab optimi codicis lectione *in alienas tegulas* abscedamus.

Quo loco silentio mihi praetermittendum non esse puto quod in recensione illa quam Fleckeisenus edidit, nonnulli loci exstant, quibus cum sensum omnino non praebeant, Umpfenbachius rectius intellegendis consuluit distinctione mutata. Inprimis Andr. 395,6 qui versus apud U. leguntur:

Nam quód tu speres: „propulsabo fácile uxorem hís moribus:
Dabit némo": inveniet inopem potius et cetera.

Versus ita distincti optime in sensum quadrant neque aliquid deesse cum Donato suspicari cogimur. — Apud F. hi versus hunc in modum distinguuntur:

Nam quód tu spéres, própulsabo facile. uxorem his moribus
— — — — — —
Dabit nemo. et cetera.

magnum exemplum continentiae. — *Sapientia* Ad. 394: *nil nisi sapientia es, ille somnium* et Ad. 769 quem locum supra laudavimus. — *Quaestus* Hec. 756: *alia ex hoc quaestu.* — Pulchre dicuntur *amor* et *consuetudo* pro *amica* Haut. 264: *aliter tuom amorem atque est accipis.* — Phor. 161: *qui hanc mihi adimat consuetudinem.* — Eleganter item audacterque legimus Haut. 366: *eius noctem orantem.*

Quas metaphoras ex Terentii fabulis collegimus, quamquam tantum abest, ut omnes a nobis coactas contendamus esse ut maxime cum haud scientes tum scientes permultas nos omisisse confiteamur, tamen ex his translationibus investigatis et elucere putamus, ubi et quoad poetae mens cogitationesque versatae sint et apparere Terentium pro suis temporibus imaginibus et dilucidis abundare et saepe pulcherrimis. Multo ampliorem deinde metaphorarum numerum non mirabimur ex hominum condicionibus haustum esse iis, in quibus plerique erant, qui comoediam romanam spectabant. Nam in comoedia bona translatio est, quam auditores et auribus percipiunt et mente; igitur propter eos qui audiebant, poetae, ne acutiores longinquioresque adhiberentur cavendum erat mutationes verborum. Quae quamvis carmina lyrica iis summopere exornentur et inlustrentur, in fabulis ineptae sunt. Quo factum est ut saepissime poeta rem iudicialem, condiciones et belli et commercii cogitatione complexus sit, quarum propria vocabula cum neque ab ore neque ab aure eius absona essent, qui audiebat, etiam mutata intellectu erant facilia. Neque quae et ex agricultura et ex universa rerum natura derivatae sunt, alienae ab mente Romanorum erant. Quamquam hae haud multae sunt, cum veterum cogitationes raro in rerum natura versatas esse constet. Denique quae translationes ex fabula scholarumque usu ortae sunt, earum numerum minimum esse non mirum videbitur, qui qua natura translatio debeat esse, perspexerit. Rarissima exempla exstant translationum ad navigationem pertinentium unaque ea metaphora, quam poeta ex rerum historia sumpsit, Romani Pyrrhi nominis et belli tarentini commonefacti sunt, quod bellum haud ita multis annis ante optimo Romanis eventu confectum erat.

Quod ad numerum translationum attinet, earum longe plurimas in fabulis Eunuchi, Phormionis, Andriae exstare non omittendum est; et quamquam haud facile quisquam quod hae prae reliquis fabulae metaphoris abundent, consilio id factum esse contenderit, vix dubium poterit esse quin cum Phormionis et Andriae fabularum tum maxime Eunuchi eventus eiusque pretium, quod meruit, magnam partem metaphorarum abundantia effectus sit, praesertim cum iis audacissimis Terentii sermo interdum Plauti simillimus fiat isque miris suis atque audacibus adnominationibus sive amplissima verborum copia populo iucundissimus fuerit, cuius plurimum res in scena agi intererat quam maxime varias et propter turbas tumultusque actionum, personarum ipsiusque sermonis, ut ita dicam, corruere risu.

Quantopere Terentii sermo expolitus ac liberalis ab eo Plauti abhorreat, ex utriusque poetae metaphoris conferendis elucere alio loco fore ut investigetur a nobis, speramus. Igitur hic breviter licebit in personarum nominibus saepissime troporum formam inesse denique tangamus, cuius unum exemplum supra laudavimus. Per antonomasiam permulta nomina propria creata sunt, quae ex lingua graeca Terentius in fabulas suas transtulit. Antonomasia secundum auctorem nostrum est, quae aliquid pro nomine ponit et per epitheton, quod detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine Tydides, Pelides et ex factis, quibus persona signatur. Ad eam formam inlustrandam duae Donati de ea adnotationes hic habeant locum, quae a Ritschelio collatae in eius opusc. philol. III, pg. 350/1 exstant.

I. Don. ad Adelphon I, 1, 1: Nomina personarum, in comoediis duntaxat, habere debent rationem etymologiam. Etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personae incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis Parmeno: infidelis vel Syrus vel Geta: miles Thraso vel Polemon: iuvenis Pamphilus: matrona Myrrina: et puer vel ab odore Storax vel a ludo et a gesticulatione Circus: et item similia, in quibus summum poetae vitium est, si quid e contrario repugnans diversumque protulerit, nisi per 'antiphrasin' ioculariter nomen inponit, ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita et fere hoc modo apud alios a poetis nomina componuntur describenda per 'antiphrasin', quod designat Storax.

Alter locus ad Andriae I, 3, 21. Semper nomina comicorum servorum aut a nationibus sunt indita, ut Mysis, Syrus, aut ex accidentibus, ut Lesbia velut ebriosa, a Lesbo insula, quae ferax est suavissimi candidissimique vini, aut a moribus et vernilitate, ut Pseudulus, aut ex negotio, ut Chrysalus, aut ex qualitate corporis, ut Thylacus, aut ex specie formae, ut Pinacium. — Quae nomina propria in hunc modum a Terentio adhibita imaginem personarum praebent, haec hoc ex numero adferre satis erit: Pamphilus, (bis) Phidippus, Dromo, Pamphila, Philotis, Sophrona, (bis) Antiphila, Glycerium.

Addenda et corrigenda.

Lege	pro
pg. 8, lin. 9, adfectuum	adfectum.
pg. 9, lin. 27, Haut. 739	Haut. 719.
pg. 9, lin. 29, 354: Duras	353: severas.
pg. 9, lin. 35, Eun. 1046	Andr. 1046.
pg. 9, lin. 45, Haut. 516	Haut. 576.
pg. 10, lin. 18, Eun. 610	Eun. 609.
pg. 10, lin. 38, Phor. 922	Phor. 622.
pg. 10, lin. 39, Andr. 610	Andr. 609.
pg. 11, lin. 8, ponit per	ponit et per.
pg. 11, lin. 10, Phor. 492. In	Phor. 492, Andr. 929. In.
pg. 12, lin. 17, Hec. 467	Hec. 461.
pg. 12, lin. 18, Eun. 740	Eun. 739.
pg. 12, lin. 34, Phor. 491	Phor. 495.
pg. 12, lin. 39, Haut. 450	Haut. 449.
pg. 13, lin. 13, Phor. 32, hoc loco de actoribus usurpatum.	
pg. 13, lin. 13, Hec. 480	Hec. 430.
pg. 13, lin. 16, Andr. 539/40	Andr. 540.
pg. 13, lin. 19, Andr. 577	Andr. 517.
pg. 13, lin. 22, Andr. 761	Andr. 701.
pg. 13, lin. 23, Ad. 870	Ad. 570.
pg. 14, lin. 1, Eun. 178	Eun. 179.
pg. 14, lin. 8, Andr. 332	Andr. 322.
pg. 14, lin. 19, Eun. 601	Eun. 607.
pg. 14, lin. 21, Phor. 768	Phor. 763.
pg. 16, lin. 34, Haut. 250	Haut. 250.

Bericht
über das Schuljahr von Ostern 1883 bis Ostern 1884.

A. Lehrverfassung.
1. Allgemeiner Lehrplan.

Lehrfächer.	Wöchentliche Stundenzahl in den einzelnen Fächern.											Vorschule	
	R. I.	R. II.	R. IIIa.	R. IIIb.	G. I.	G. II.	G. IIIa.	G. IIIb.	IV.	V.	VI.	I.	II u. III.
1. Religion	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	3.	3.	3.
2. Deutsch	3.	3.	3.	3.	3.	2.	2.	2.	2.	2.	3.	4. 7.	3. 5.
3. Lateinisch	5.	5.	6.	6.	8.	8.	9.	9.	9.	9.	9.	—	—
4. Griechisch	—	—	—	—	6.	7.	7.	7.	—	—	—	—	—
5. Hebräisch (fakult.) . . .	—	—	—	—	2.	2.	—	—	—	—	—	—	—
6. Französisch	4.	4.	4.	4.	2.	2.	2.	2.	5.	4.	—	—	—
7. Englisch	3.	3.	4.	4.	2.	a. 2. b. 2.	—	—	—	—	—	—	—
8. Geschichte und Geographie	3.	3.	4.	4.	3.	3.	3.	3.	4.	3.	3.	2.	—
9. Naturbeschreibung . . .	—	b. 2.	2.	2.	—	—	2.	2.	2.	2.	2.	—	—
10. Physik	3.	3.	—	—	2.	2.	—	—	—	—	—	—	—
11. Chemie	2.	a. 2.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
12. Mathematik und Rechnen	5.	5.	5.	5.	4.	4.	3.	3.	4.	4.	4.	4.	6.
13. Schreiben	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2.	2.	3.	4.
14. Zeichnen	2.	2.	2.	2.	—	—	—	—	2.	2.	2.	—	—
15. Singen	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	1.	1.
16. Turnen	2*).	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	—	—
	36.	36.	36.	36.	38.	38.	34.	34.	34.	34.	32.	24.	22.

*) Die Klassen I—III turnen in 4 Abteilungen.

Budde, Borchers, Boekhoff und Ditzen von der mündlichen Prüfung dispensiert. Boekhoff, Pannenborg, Ditzen und Eggerking wollen Theologie, Borchers und Meyer Medizin und Beckers orientalische Sprachen studieren, Müller wird sich dem Ingenieurfach widmen, Bertram in den Kaiserlichen Marinedienst eintreten, Budde hat sich noch nicht für einen bestimmten Beruf entschieden.

Die Schulfeier zum Geburtstag Sr. Majestät des Kaisers wurde am 22. März begangen, die Festrede hielt der Oberlehrer Dr. Bunte; an dieselbe schloß sich die Entlassung der Abiturienten durch den Unterzeichneten.

Das Schuljahr schließt Sonnabend den 5. April mit der Bekanntmachung der Versetzungen und der Verteilung der Zeugnisse.

Das Schuljahr 18$^{84}/_{85}$ beginnt

Montag, den 21. April, morgens 8 Uhr,

die Aufnahmeprüfung findet statt

Sonnabend, den 19. April, morgens 9 Uhr.

Diejenigen, welche ihre Söhne oder Pflegebefohlenen der Anstalt anvertrauen wollen, werden ersucht, dieselben **Montag, den 7. April,** vormittags zwischen 10 und 12 Uhr oder nachmittags zwischen 3 und 5 Uhr, in dem Geschäftszimmer des Unterzeichneten in dem Schulgebäude anzumelden. In die Vorschule werden Knaben vom vollendeten sechsten Jahre an ohne irgendwelche Vorbildung aufgenommen. Jeder Angemeldete hat ein Impfattest, bez. Wiederimpfungsattest, und wenn er bereits eine Schule besucht hat, ein Zeugnis seiner bisherigen Lehrer vorzulegen.

Quapp, Direktor.